



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censuris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

Pio, Ac Benevolo Lectori S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

P I O , A C B E N E V O L O
L e c t o r i S .



Diturus in lucem (Candide Lector) hoc opus, quod ex duobus voluminibus Consiliorum Doctoris Martini Nauarri colligerim, quo gratior, & acceptior hæc industria nostra tibi foret, quid ego studiij, & laboris in eo componendo collocauerim, & quam tu ex eius lectione utilitatem, & voluptatem capere possis, breuiter explicare decreui. Primo igitur cum varijs temporibus, videlicet, annis 1585. & 1596. & diuersis itidem in locis, & Regnis, Romę nimirum primo, postea Cremonę, deinde Brixię, postea Lugduni, postremo etiam Venetijs, Consilia hæc edita, & impressa sint; adeo vt propter varias eorundem editiones, & impressiones, difficile admodum sit, ne dicam impossibile, certum aliquem in eis ordinem, & numerum inuenire, (quippe, qui non solum eorum numerus auctus, sed ordo etiam immutatus planè est) ex quo id incommodi studiosis omnibus accidit, vt & auctorem ipsum sibi dissimilem, & dissentientem conspiciant, & scriptores alios inertię, & falsitatis arguere incipiant, dum alij vnã editionem, & impressionem, alij alteram sequentes, vnusquisque tamen iuxta libri sui impressionem, auctoris sententiam in libris suis imprimendis fideliter recensere studeat; Id mihi ante omnia elaborandum esse statui, vt & Nauarri ipsum omni contrarietate, & Scriptores recentiores in eius Consilijs referendis falsitate, & denique lectorem studiosum omni in posterum molestia liberarem.

Quę omnia nos præstitisse confidimus, dum qualiter editio prima Romana, Cremonensis, & Brixiensis, (quę propria ipsius Nauarri est) cum altera Lugdunensi, & Veneta recentiori, & auctiori conueniat, aut ab ea dissentiat, in principio cuiusque Consilij, seu Decisionis ostenderimus.

Secundò autem; quia post mortem Auctoris, & operis editionem nonnullę recentiorum Summorum Pontificum Bullę promulgatę sunt, post Decisiones ipsas, quoties occasio postulat, annotationes quasdam apposimus, ex quibus, ob recentiores illas summorum Pontificum Constitutiones, auctoris opinionem in multis, vel confirmatam, vel refutatam esse, vnusquisque facile diiudicare poterit.

Tertiò deinde in ipsis Consilijs, & Decisionibus colligendis, præter textus iuris Canonici, alias quasdam Bullas Pontificias, quę ad Casus, & quæstionis propositę confirmationem pertinere videntur, ab Auctore expositas ad maiorem studiosorum utilitatem adiecimus.

Quartò omnia Concilii Tridentini loca, & decreta ab auctore explicata, nec non quando, & in quibus doctrina in his Decisionibus tradita, cum ea, quę in libro illo, cui nomen MANVALE indidit, habetur, conueniat, annotauimus.

Quintò denique ne quid studiosus Lector in tanta Consiliorum additione perturbatum, & confusum inueniret, & qui solum editionem primam, & antiquiorem, vel è contra secundam, & recentiore tantum haberet, vtramque simul possideret; omnem operam, & industriã adhibuimus, hancque Methodum, & ordinem in hoc opere nostro impertimendo obseruauimus, vt quę in secunda & recentiori editione, priori de nouo Consilia, & Responsta addita sunt, ad finem, ac numerum Consiliorum editionis primę, præposita stellula, seu asterisco notarentur.

Reliquum igitur est (Lector optimè) vt immensum hunc laborem, & diligentiam, quam in his Decisionibus, & Consiliorum fosculis colligendis adhibuerim, opusque ipsum, quod in communem omnium utilitatem edere curauerim, æqui, bonique consulas; & vberimos illos fructus ex talis, antiquę Doctoris multiplici eruditione, perlecto diligenter opere, tibi comparare contendas. Ego interim si tibi hos meos fosculos gratos, & acceptos fuisse intellexero, dabo operam, vt prope diem insigne illud eiusdem Doct. Nauarri opus, & Commentaria de Penitentia, in synopsis etiam, & Compendium collectum habere possis. Vale.